

tacito vel expresso, consequenter etiam sine pretio temporali, et sic absque simonia. Nec quid in contrarium probat c. *Nemo*, 14, h. t. quia postrema illius verba, quæ de simonia agunt, non sunt referenda ad casum, quo dicitur, nil amicitiae, aut consanguinitatis gratia faciendum esse in occultandis peccatis.

66. *Pariter non est simonia ex timore mali incurrendi id facere.* — Quæritur III. An pretium simoniacum interveniat? et simonia committatur, si quis alteri confert spirituale, v. g. beneficium ex timore damni, aut nocenti temporali, aut disgratiæ alias incurrendæ? Resp. Negative, nisi interveniat pactum. Suarez *de Simonia*, cap. xxxvii, Soto, cum communi aliorum contra D. Thomam, in 4, dist. 15, q. 3, art. 3, ad 4, et nonnullos alios, arg. c. *Ad audientiam*, 4. De his, quæ vi metusque causa, ubi restitui jubetur ille, qui ex gravi metu beneficium resignavit: quod factum non fuisset, si resignatio ex timore male facta, simoniaca fuisset; cum simoniaca resignatio ipso facto inducat privationem beneficii juxta dicenda § 41. Ratio autem conclusionis est, quæ operari ex metu, non est operari ex pacto pro pretio; cum ita operans præcise intendat avertere causam vel ansam aversionis, aut odii, ex quo dein malum sequi timetur.

Dicitur autem notanter, nisi pactum interveniat; quia obligatio, quæ vi pacti imponitur alteri, ne mihi noceat, et securitas mea per pactum obtenta est quid pretio aestimabile, consequenter si pro illo datur spirituale, simoniam esse, volunt doctores citati, et alii.

67. *Dare temporale tanquam motionem consequendi spirituale, an sit simonia? Remissive.* — Quæritur IV. An pretio simoniaco annumeretur, vel ei æquiparetur, consequenter simoniam inducat, si quid temporale datur, offertur, aut promittitur non tanquam pretium, sed tanquam motivum consequendi spirituale, seu ea intentione, fine, aut motivo, ut obtineatur spirituale? Resp. Ad hoc quæsitum patere § seq.

§ V.

DE PACTO, SEU CONTRACTU SIMONIACO: ET AN HOC ETIAM INTERVENIAT, CONSEQUENTER SIMONIA COMMITTATUR, SI TEMPORALE DATUR, AUT PRÆSTATUR NON TANQUAM PRETIUM, SED PRÆCISE UT MOTIVUM OBTINENDI SPIRITUALE.

68. *Ad simoniam necessario requiritur pactum,*

vel contractus. — Quæritur I. An, et quale requiratur pactum, seu contractus ad hoc, ut simonia committatur? Resp. I. Certum est, et apud doctores indubitatum, ad rationem simoniæ requiri pactum aliquod, aut contractum expressum vel tacitum, saltem ex una parte inchoatum, vel intentum dandi vel præstandi temporale pro spirituali, aut e contra. Patet hoc ex ipsa definitione num. 3, data, in qua ly emendi, vel vendendi, tacitum, vel expressum pactum importat, juxta dicta ibid. quamvis non negetur, posse dari simoniam unius duntaxat, si videlicet unus tantum promittendo, dando, aut præstando temporale intendit alterum obligare aut movere ad reciproce dandum spirituale, aut e contra; consequenter facere talem contractum, aut pactum.

69. *Sufficit tamen tacitus et implicitus.* — Resp. II. Non necessario requiritur pactum, aut contractus expressus, quo quis v. g. dicat, promitto, do, præsto, vel dabo, aut præstabo tibi hoc temporale, hac tamen conditione, seu onere, ut mihi des, conferas, aut præstes hoc vel illud spirituale, v. g. beneficium; sed omnino sufficit etiam pactum, seu contractus tacitus, et implicitus, saltem ex una parte inchoatus, vel intentus, quo quis temporale quidem dat, aut præstat, aut præstare proponit animo, et intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut e contra, sicque aliquam commutationem, et appretiationem rei temporali cum spirituali faciendi, ita tamen, ut hunc animum suum verbis, aut signis expressis non manifestet, sive dein alter id advertat, sive non. Rursus communis ac certa, patetque passim ex sacrosanctis Canonibus, præsertim ex c. *Tuanos*, 34, c. *Etsi quæstiones*, 18, h. t.

70. *Ex parte unius duntaxat inchoatus, vel intentus.* — Dicitur tamen notanter in utraque conclusione, contractum saltem ex una parte inchoatum, aut intentum, idque ideo, quia potest dari simonia ex parte unius duntaxat; quando videlicet unus offert quid, dat, aut præstat, aut præstare proponit temporale, animo alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, sicque contractum, aut permutationem ex sua parte facere intendit; alter vero id, vel non advertit, vel advertens non consentit, et propterea non acceptat, vel spirituale reciproce non dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporali. Ita ex parte unius

§ V. DE PACTO, SEU CONTRACTU SIMONIACO, ETC.

duntaxat Simonis Magi, non item S. Petri facta simonia commissa; dum ille huic obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus S., Petrus vero non accepit, sed recusavit dicens: «Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.» Hinc in definitione simonia non dicitur esse contractus, seu emptio vel venditio, seu contractus, sed studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali.

71. *Controversia specialis.* — At vero gravis, et quoad praxin maximi momenti, simulque periculosa difficultas est, an etiam, quando, et quomodo pactum saltem implicitum intercedat, consequenter simonia committatur, casu quo temporale pro spirituali, aut vicissim offertur, datur, aut præstatur non ut pretium, sed ut motivum, intentione et animo, vel etiam sub spe consequendi spirituale. Et quia de his duplex distincta difficultas est, duo distincta ad eam solvendam ponemus quæsitæ.

72. *An interveniat implicitum pactum, et committatur simonia, si absque ullo externo pacto, conditione, vel obligatione imposita, hac tamen intentione interna offertur, vel præstatur temporale, ut alter moveatur ad dandum spirituale?* — Quæritur igitur II. An, et quomodo pactum seu contractus saltem implicitus interveniat? et consequenter committatur simonia, casu quo temporale pro spirituali, aut e contra offertur, datur, præstatur, aut præstari proponitur, non ut pretium, sed ut motivum consequendi spirituale, seu ideo, hac intentione, et fine, ut mediante tali temporali alter moveatur ad dandum spirituale, vel e contra. Et quoniam quæstio hæc summe practica, et valde frequenter occurrens est, ideo pro majori ejusdem resolutionis intelligentia casus aliquos practicos præmittemus.

73. *Explicatur status quæstionis variis casibus practicis quatuor.* — Caius clericus venit in nolitiam, vacare parochiam, canonicatum, vel aliud beneficium, quod ipse libenter haberet. Verum, quia videt, adesse jam, vel certe brevi venturos etiam alios, et forsitan digniores, aut potentiores se, illico se confert ad collatorem, seu presentatorem, eique se commendat, et pro collatione beneficii, aut presentatione ad illud supplicat, simul etiam per se, vel alium offert eidem aliquod honorarium (uti vocant) v. g. aliquam certam quantitatem pecuniæ vel

pretiosam picturam, vel artificiosam statuam, vel aureum aliquod, aut argenteum vas, vel quicquid aliud absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut externa imposita obligatione, ut pro tali temporali eidem conferatur beneficium; hac tamen interna intentione, sine, et animo, ut intuitu illius collatorem, vel patronum moveat, et obliget, ad beneficium sibi præ aliis conferendum.

74. Titius in simili vel alia vacatura beneficii, scit hunc vel illum consiliarium, ministrum, aut alium, apud collatorem, aut presentatorem omnia, aut certe tantum valere, ut mediante illius recommendatione, aut intercessione beneficium obtinere valeat: hinc illi per se, vel alium aliquid temporale offert sine ullo pacto expresso, aut obligatione, hac tamen intentione et animo, ut eum moveat, et obliget, quatenus ipsum in ordine ad beneficium consequendum recommendare, suaque recommendatione, et intercessione beneficium impetrare dignetur, quam intercessionem ut faciat, etiam rogat ipsum.

75. Sempronius videns, quod ob defectum suarum qualitaturn, vel meritorum, vel ob copiam cleri, ac competentium tam brevi aut facile beneficium aliquod obtinere non valeat, resolvit se ad tempus aliquod gratis, vel pro minori ac competenti salario agere capellanum apud episcopum, præpositum, decanum, vel alium collatorem, presentatorem, agere instructorem, moderatorem juventutis apud presentatorem, aut talem, qui sua potentia, et intercessione beneficium impetrare facile potest, idque facit quidem absque ullo pacto expresso, conditione, aut obligatione imposita, occulta tamen interna intentione et animo, ut talem moveat et obliget, quatenus sibi cum tempore beneficium vacans conferat, vel ad illud presentet, aut sua intercessione juvet.

76 et 77. Similiter episcopus habens jus conferendi, canonicus habens turnum aut vocem in capitulo, aut patronus habens jus presentandi ad beneficium vacans, bene videt, vel saltem sibi imaginatur, quod si huic, vel illi beneficium conferat, aut ad illud presentet, recepturus sit ab illo, ejusve parentibus, consanguineis insigne honorarium, aut obtenturus pro se, vel suis officium, promotionem, aut aliud utile obsequium temporale. Hinc illi præ aliis benefi-

cium confert absque ullo pacto externo, vel conditione aut obligatione imposita, hæc tamen intentione et animo, ut illum, aut consanguineos illius moveat, et obliget, ad hujusmodi honorarium, vel aliud obsequium temporale præstandum. His præmissis, ad quæsitum n. 72 positum.

78. *Respondetur ad questionem et casus, videlicet, veram communi simoniam in statu questionis.* — Resp. I. In singulis specificatis, et in aliis similibus casibus, ac universaliter, quotiescunque offertur, datur, aut præstatur quid temporale absque omni quidem pacto expresso, et sine ulla conditione, et obligatione externe apposita, intentione tamen interna, et animo, seu ex hoc fine et motivo, ut acquirat spirituale, vel ut alium moveat, alliciat, inducat, et saltem tacite obliget, quatenus sibi spirituale, v. g. beneficium conferat, vel ad illud præsentet, aut sua intercessione juvet, implicitum, et ad simoniam sufficiens intervenit pactum, perfecta que committitur simonia. Hæc conclusio, quamvis olim plures habuerit adversarios, moderno tamen tempore ob decretum Innocentii XI statim allegandum est certa, adeo, ut post memoratum decretum de veritate conclusionis dubitare non amplius liceat. Eamque expresse tenet Cardenes, in *Crisi theologica*, Dissert. 27, *Super damnata propositione*, 43 et 46.

79. *Probatur ex decreto Innocentii XI, contrariam opinionem damnantis.* — Probatur igitur conclusio I, et quidem efficaciter, ac fortissime ex decreto Innocentii XI edito 2, Martii 1679, utpote in quo doctrinam seu opinionem contrariam damnavit tanquam scandalosam, et in praxi perniciosam, simulque in virtute obedientiæ, et sub interminatione divini iudicii prohibuit, ne ullus fidelium, cujuscunque status aut conditionis sit, in praxi deducat memoratam opinionem aut doctrinam, quæ in propositione 43, dicti decreti sic sonat: « Dare temporale pro spirituali, non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale. » Cum itaque hæc propositio, doctrina, et opinio sit falsa, scandalosa, et perniciosa, necessario erit vera doctrina eidem contraria, quam ponit nostra conclusio; cum duo contradictoria nequeant esse simul falsa. Et quamvis stante allegato decreto conclusio ulteriori probatione non indigeret; præsertim cum Pontifex etiam in

decretis morum sit infallibilis; nihilominus ut veritas illius et error antiquus magis appareat, praxisque contraria magis eliminetur.

80. *Probatur ex jure.* — Probatur II. Ex jure c. *Etsi quæstiones*, 18, h. t. ubi episcopus Strigoniensis dubitans, an non saltem indirecte sit reus simoniæ, ex eo, quod illius frater obtulerit equum cardinali pallium afferenti, Papam consuluit, causam sui scrupuli inter alia allegans illud Scripturæ: Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, et in responsis tulit, illum a simonia esse immunem: ad allegatum vero textum respondit Papa illis verbis: Quod autem scriptum est (beatus, qui excutit manus suas ab omni munere) de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere et pervertere solent; quoniam si ipsa persona electi offerat ordinatori, aut consecratori suo electuarium aut de vino, aut de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, et quæ voluntatem recipientis inclinare, et movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem: Ergo a sensu contrario, si talia munera offeruntur, quæ accipientis animum movere possunt, et allicere ad dandum spirituale, simoniam cum est; consequenter qui dat temporale hæc intentione, fine, et animo, ut accipientem moveat ad reciproce dandum spirituale, etsi expresse id non paciscatur, simoniam committit.

81. *Solvitur instantia.* — Dices, ex hoc textu, et explicatione illius sequi, saltem illum a simonia excusari, qui esculenta et poculenta, vel alia modici pretii offert animo et intentione movendi accipientem ad dandum spirituale; quod est contra dicta supra n. 11, ergo. Resp. Negando antecedens; licet enim Ecclesia pia mater benigne interpretetur, modica gratis dari et accipi, consequenter simoniam in illis non præsumat, tamen coram Deo simoniæ, et poenarum ejus reus est etiam ille, qui esculenta et poculenta, vel quid aliud modicum dat, si revera non gratis, sed ea intentione et animo dat, ut alterum ad reciproce dandum moveat, et alliciat: cum juxta dicta in simonia non detur levitas materiæ; imo eo gravior inferatur injuria rei spirituali, majusque committatur simoniæ peccatum, quod minoris pretii est res temporalis, intuitu cujus datur res spiritualis.

82. *Probatur ulterius ex claro juris textu.*

— Probatur III. Manifesto ex c. *Tua nos*, 34, h. t. ubi postquam Papa consultus respondit, esse simoniam, si quis Ecclesiæ offerat sua bona cum pacto et conditione, ut in canonicum recipiatur; ab eadem vero immunem esse, si hujusmodi bona pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans tamen humiliter, ut in canonicum recipiatur, subjungit, talem sine ullo expresso pacto et conditione bona sua offerentem, et præcise humiliter rogantem pro canonicatu, nihilominus simoniæ esse reum, si ea intentione interna, fine, et animo id fiat, ut recipiatur in canonicum, seu ut acquirat spirituale; uti patet ex textu sic sonante: « Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, et clerici, qui in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quam isti apud districtam judicem, (qui est scrutator cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur, » utique ob simoniam, utpote de qua ibi agitur, et præter quam alia culpa in hoc intervenire non cognoscitur. Hæc Pontificis responsio veritatem nostræ conclusionis, et falsitatem doctrinæ contrariæ tam clare manifestat, ut sane mirari liceat, doctores tam insignes prius in hoc puncto nihilominus fuisse hallucinatos.

83. *Probatur ratione.* — Probatur IV. Ratione: quando temporale offertur, datur, aut præstatur eo modo, qui in prudenti, et communi hominum æstimatione saltem tacite, virtualiter, et æquivalenter est emptio, ac continet tacitum pactum aliquod, seu contractum onerosum, certa committitur simonia, juxta unanimem doctorum, et clara jura manifeste innuentia, ad simoniam non requiri expressum, sed sufficere tacitum, et implicitum pactum, seu id, quod virtualiter, et æquivalenter est pactum. Sed qui dat, vel præstat temporale eo animo et fine, ut accipientem moveat ad reciproce dandum spirituale, consequenter eo motivo et intentione, ut mediante tali re temporali acquirat spirituale, dat modo, qui virtualiter ac æquivalenter est emptio, continetque in se pactum, seu contractum tacitum ac implicitum; ergo. Minor probatur a simili: quando quis absque ullo pacto aut conditione expressa, et sine obligatione, ve-

onere externe imposito, hoc tamen animo, fine, et intentione offert judici pecunias, vel aliud munus temporale, ut moveat illum ad ferendam pro se injustam sententiam, seu ut mediante tali pecunia, vel munere eam pro se acquirat, et judex intuitu illius pecuniæ motus sententiam injuste pro tali pronuntiet, revera in communi æstimatione hominum virtualiter, et æquivalenter censetur, et dicitur emisse, judex vero vendidisse sententiam, simulque intervenit inter illos tacitum saltem, vel implicitum pactum seu contractus; cum a parte rei in prudenti hominum æstimatione idem sit justitiam vendere, ac pecunia judicem corrupti, illaque mediante ad committendam injustitiam, ferendamque injustam sententiam moveri: ergo etiam qui sine ullo pacto expresso, et absque conditione vel obligatione externe apposita, eo tamen animo et fine dat temporale, ut moveat accipientem ad dandum spirituale, seu ut mediante tali temporali acquirat spirituale, virtualiter, et æquivalenter dicitur emere spirituale, tacitoque, et implicito pacto, aut contractu illud acquirere.

84. *Confirmatur.* — Confirmatur: qui offert, dat, aut præstat temporale pro spirituali, aut e contra, sine omni quidem pacto expresso, et sine conditione aut obligatione externe apposita, eo tamen animo, fine et intentione, ut alterum moveat, ut inducat ad reciproce dandum spirituale, seu ut mediante tali re temporali acquirat ab illo spirituale, non dat omnino gratis et liberaliter, sed onus et obligationem non quidem expresse, sed tacite et implicite imponit, videlicet, ut accipiens temporale, reciproce det spirituale, vel temporale non accipiat, hoc ipso, quod alio fine temporale alteri non det, quam ut ab ipso spirituale recipiat, non daturus, si sciret, quod ab illo reciproce non esset accepturus, indeque tacite velit, ut alter vel det vicissim, aut si dare nolit, oblatum non accipiat, vel certe restituat; prout colligere est ex illo, quod, si suo munere spirituale non acquirat, conqueratur et murmuret; sicut in simili conqueritur, qui iudici munera offert, et sententiam pro se non obtinet. Tali autem modo si datur temporale pro spirituali, tacitum et implicitum pactum intervenire, consequenter simoniam committi, clarum est.

85. *Confirmatur ulterius ex absurdis sequelis.* — Confirmatur ulterius, si dare tem-

porale pro spirituali non ut pretium, sed tanquam motivum obtinendi, mediante illo aliquid spirituale, vitio careret simoniæ, facile eluderetur omnis simonia, omnesque canones simoniam tamelose, tantisque sub pœnis prohibentes, sicut eludebantur ante decretum Innocentii XI, dum simoniace agentes, omissis terminis expressi alicujus pacti, conditionis, aut obligationis appositæ, dicebant, et in posterum dicturi essent, se temporale non dare, aut præstitisse ut pretium, aut per modum contractus, sed præcise ut motivum consequendi spirituale, seu ut alterum inducerent ad reciproce dandum spirituale.

Infertur proin in omnibus a n. 73, usque ad n. 76, specificatis, et aliis similibus casibus revera perfectam committi simoniam.

86. *Hæc simonia potest esse mentalis, conventionalis et realis.* — Si quæras, qualis autem sit simonia, offerre, præstare, aut dare temporale pro spirituali, aut e contra, non expresso pacto, conditione, aut obligatione appositæ, nec ut verum pretium, sed præcise ut motivum consequendi spirituale, seu eo animo et intentione, ut accipiens moveatur, et inducatur ad dandum spirituale? Resp. Esse simoniam juris divini. Et quidem, si quis hoc facere interne tantum proponit, erit simonia interna, grave quidem peccatum coram Deo, nullas tamen juris pœnas inducens, juxta dicta n. 15, et dicenda infra § 11, de Pœnis simoniæ. Si propositum suum ipso actu externo etiam exequitur, erit simonia conventionalis, quæ vel ex parte unius, vel ex parte utriusque committi potest, juxta dicta n. 19, et n. 16. Quod si dein ex utraque parte completur, transit in realem, pœnas juris secum trahens, juxta dicta n. 20, et dicenda infra § 11.

Porro etiam hæc dicta a n. 78, huc usque, hodie certa sunt, et extra controversiam apud doctores; sed gravis modo, et satis delicata ac periculosa est quæstio sequens.

87. *An sit simonia, dare temporale sub spe consequendi spirituale?* — Quæritur III. An etiam, et quando tacitum, seu implicitum interveniat pactum, consequenter vera committatur simonia, si absque omni pacto expresso offertur, datur, aut præstatur temporale pro spirituali, non tanquam motivum, sed tantum sub spe consequendi spirituale? Vel si datur ad captandam duntaxat benevolentiam, et conciliandam amicitiam,

ut postea sui memor ex benignitate conferat beneficium, aut aliam rem spiritualem, vel e contra. Periculosæ, ut jam dictura, et difficillimæ solutionis est hæc quæstio. Ratio difficultatis est, quia ex una parte, communissima doctorum habet, dare temporale sub spe consequendi spirituale, non esse simoniam, juxta dicenda infra. Ex altera vero parte in contrarium urget, quod dare temporale sub spe obtinendi spirituale, vel e contra, idem videatur esse, ac dare temporale ex motivo, seu tanquam motivum consequendi spirituale; cum, qui dat temporale spe, mediante illo temporali, acquirendi spirituale, vere etiam censeatur dare ex motivo consequendi spirituale. Nam etiam dans temporale spe consequendi spirituale, si interrogaretur: Quare das, aut præstas huic istud temporale, utique responderet: Quia per hoc spero consequi ab eo spirituale v. g. beneficium; sic autem respondendo manifeste indicarem, motivum dandi esse consecutionem beneficii; atqui dare temporale ut motivum consequendi spirituale, est simoniacum juxta dicta a n. 78, ergo etiam dare temporale sub spe consequendi spirituale, erit simoniacum.

88. *Idem videtur, temporale dare sub motivo, ac sub spe consequendi spirituale, ac captandi benevolentiam.* — Pariformiter, dare aliquid ad captandam alterius benevolentiam, ut postea ex benignitate conferat beneficium, idem a parte videtur esse, ac dare temporale tanquam motivum consequendi spirituale, eo quod dans temporale ad captandam alterius benevolentiam in ordine ad consequendum ab ipso beneficium, revera pro-motivo et quidem principali, ac ultimato habeat consecutionem rei spiritualis, v. g. beneficii; cum talis per temporale benevolentiam alterius non alio fine et ratione captare intendat et quærat, quam ut beneficium ab eo consequatur; ut proin consecutio beneficii sit ultimum et principale motivum dandi temporale; atqui dare temporale tanquam motivum consequendi spirituale, vel e contra, est simonia juxta dicta n. 78. et propositionem damnatam n. 79, allegatam; præsertim si spirituale sit principale motivum dandi temporale, aut e contra; eo quod specialiter damnatum sit ab eodem Innocentio XI, in propositione sequenti, quæ est 46, inter damnatas: « Id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; » ergo

etiam dare temporale ad captandam duntaxat alterius benevolentiam, ut postea memor ex benignitate conferat beneficium, erit simonia; quod tamen multi doctores negant, et inde solutionem quæstionis difficilem reddunt. Nihilominus ad eandem:

89. *Non est simonia, dare temporale sub spe consequendi spirituale, si habetur alius principalis finis dandi temporale.* — Resp. I. Offerre, dare, vel præstare temporale sub spe consequendi spirituale; vel e contra dare spirituale, v. g. beneficium spe, vel cum, aut sub spe obtinendi temporale, non est simonia, si dans temporale pro fine et motivo principali non habeat consecutionem rei spiritualis, sed hanc secundario tantum, et per accidens speret, et intendat, etsi causa impulsiva, et excitativa sit; sic etiam e contra, si dans spirituale pro fine, aut motivo principali non intendat acquirere temporale, sed illud secundario tantum, et per accidens speret, aut intendat, non committit simoniam. Ita in re communissima theologorum, et canonistarum, signanter Navarr. in *Manual.* cap. xxvi, n. 102; Suarez, de *Religione*, lib. IV, cap. xlv, n. 4, ubi dicere non dubitat, hanc esse sententiam omnium, Sylvester, §. *Simonia*, quæst. 16, dicto 4; Pirhing, h. t. n. 86; Abbas, in c. *Cum essent*, 12, h. t. et ibi Barbosa, n. 4, post Glossam in idem c. *Cum essent*, §. *Promiserat*, ubi ita ait: « Potest ergo licite quilibet servire episcopo, vel alii spe futuræ remunerationis, nec committitur simonia in tali spe; cum sine omni pactone vel conditione serviat; dummodo principaliter hac intentione non serviat. »

90. *Probatur ex jure.* — Probatur conclusio I, iterum ex c. *Tua nos*, 34, h. t. ubi postquam Papa de clerico, qui bona sua offerens Ecclesiæ rogavit, et speravit recipi in canonicum, ita respondit: « Si pure, ac sine pacto vel conditione qualibet (nec tacita videlicet, nec expressa) rogans humiliter, ut in canonicum admittatur, et bona sua sibi retinere liceat pro præbenda, et clerici ejusdem pure consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. » Statim subjungit: « Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia dona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum admitturi, sine dubio tam ille quam isti apud districtum judicem (qui

scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur. » Qua distincta responsione manifeste insinuat Pontifex, non esse simoniam offerre, vel præstare temporalia cum spe, et precibus obtinendi spirituale, vel e contra; dummodo hujus consecutionem mediante temporali principaliter quis non intendat, sed alium finem principalem habet (qualem in hoc casu bene habere poterat. Clericus bona sua offerens, promovere v. g. cultum divinum in illa Ecclesia) et secundario tantum, minus principaliter, et quasi per accidens speret, ac intendat consequi spirituale, qualiter intendere spirituale v. g. beneficium, utique licet, hoc ipso, quod juxta responsum Papæ, offerens ex alio fine temporalia, pro consecutione canonicatus licite rogare, consequenter etiam sperare licite potuerit; cum nemo pro aliqua re roget, nisi illa etiam speret, et aliquo modo saltem secundario, et per accidens intendat.

91. *Probatur ratione.* — Probatur II. Quando modo in conclusione n. 89, expresso datur temporale sub spe consequendi spirituale, prorsus nullum nec expressum, nec implicitum intervenit pactum onerosum, nec per se paratur via mediante temporali consequendi spirituale; ergo non committitur simonia; cum juxta dicta ad hanc necessario requiratur saltem pactum implicitum. Ant. probatur. Qui præfato modo dat temporale sub spe consequendi spirituale, alterum nullo modo nec ex justitia, nec ex gratitudine, neque explicite neque implicite obligare vult, ad reciproce sibi dandum spirituale; ergo nullus rei spiritualis intervenit contractus onerosus nec etiam spirituale per temporale principaliter intenditur; eo quod, uli supponitur, pro fine principali quid aliud habeatur, et spirituale secundario, et per accidens tantum speretur, ac intendatur; ergo nec per se paratur via, mediante temporali consequendi spirituale.

92. *Confirmatur.* Potest quis licite ab alio sperare illud, quod alter potest licite præstare; atqui si gratis, vel ex justo titulo do, vel præsto alteri quid temporale, potest accipiens ex gratitudinis, et obligationis antidotalis, juxta dicenda infra, n. 109, vel benevolentiam, aut alio justo titulo mihi reciproce dare, vel præstare spirituale; ergo possum id etiam licite sperare, minime vero alterum ad id vi pacti expressi vel impliciti obligare, vel ut ex gratitudine antidotali